



The Holy See

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE

QUANTUM UTILITATIS*

DELEGATIO APOSTOLICA IN REPUBLICA RUANDENSI
IN NUNTIATURAM ERIGITUR.

Ad perpetuam rei memoriam. — Quantum utilitatis e publicis officiorum rationibus, quae Apostolicae huic Sedi intercedunt cum Civitatibus, soleat exsistere, neminem latet estque usu iam dudum comprobatum. Cum igitur commodum esse visum fuerit Apostolicam Sedem et Rempublicam Ruandensem publicis huiusmodi vinculis inter se coniungi, Nos, loco Delegationis Apostolicae, quae hucusque inibi viguit, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi, in Republica Ruandae *Nuntiaturam Apostolicam* erigimus et constituimus, eiusdem sedem in urbe Chigalia collocamus. Eidem ergo sic per Nos erectae Nuntiaturae omnia et singula deferimus officia, privilegia atque indulta, quae huiusmodi Legationum sunt propria. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; eidemque Legationi sic constitutae nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Iunii, anno MCMLXIV,
Pontificatus Nostri primo.*

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI

a publicis Ecclesiae

negotii

*A.A.S., vol. LVI (1964), n. 9, p. 561

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana